



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 4. Galli a Genuensibus cæsi, fugatique

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

consilium eventus fefellit; quippe suo-  
 rum amicorum, quorum plurimos in ur-  
 be numerabat, ope adjutus, tam felici  
 successu rebus suis consuluit, ut boni pu-  
 blici obtentu Fregosios cum Adorniis,  
 atque populo conciliaret. Hi novas im-  
 perii leges stabiliunt, ac ipsum populum  
 antehac exclusum, in regiminis partem  
 vocant, & ex quavis opificum classe octo  
 seligunt Viros, quibus consulares quoque  
 fasces deferrentur; denique omnium  
 consensu novus Dux eligitur Prosper Ad-  
 ornus. Residuas porro Genuensium  
 curas unice occupabat arcis, ad quam ur-  
 bis Præfectus confugerat, obsidio, quæ  
 etiam, Mediolanensium Duce copias  
 suppeditante, toto armorum apparatu  
 cæpta est.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1460.

## §. IV.

*Galli a Genuensibus cæsi, fuga-  
 tique.*

Cum interea Calabriae Dux totus in eo  
 esset, ut totum Neapolis regnum re-  
 cuperaret, & jamjam parta tueretur, nec  
 etiam pro reditu suo sese Genuensium  
 classi comittere auderet, hinc Guberna-  
 tor propugnandæ Genuæ spem unice re-  
 positam habebat in militum supplementis,  
 quæ mox comperta nova Genuensium  
 seditione, in Galliis parabantur. Impe-

A 3

rabat

Sæcul. XV. rabat Renatus Andegavensis classi, cui  
A.C. 1460. mille veterani milites præter alia sex  
 millia in Delphinatu recens conscripta,  
 & Savonam transportata imponebantur.  
 Hæ copiæ ad oppidum S. Petri de Are-  
 na exscensionem fecere, conspicientibus  
 quidem Genuensibus, sed nequaquam se-  
 se opponentibus. Altera vero die præ-  
 lium committitur; Galli infracta animi  
 virtute dimicant, & penes eos prope ste-  
 tisset victoriæ summa, nisi Fregosius Ar-  
 chiepiscopus, Genuensis exercitus Dux  
 opem in astu militari opportune quæsitam,  
 secundo successu invenisset. Sparsit e-  
 nim per suorum castra rumorem, quod va-  
 lidas a Mediolanensi Duce suppetias  
 præstolaretur; postea cum forte tres e-  
 jusdem Ducis Centuriones, fervente præ-  
 lio, adventarent, illos montis cujusdam  
 cacumen ascendere, datoque signo trans-  
 missi auxilii adventum denuntiare jussit;  
 hoc militare commentum haud parum  
 utrobique valuit; quippe Genuensibus a-  
 nimum reddidit, auxitque, Gallos autem  
 trepidatione replevit, qui cum a recenti  
 milite se jugulari pertimescerent, ut præ-  
 cipiti fuga vitæ suæ consulere, certa-  
 tim ad suas naves convolarunt, desidera-  
 tis suorum compluribus. Hac clade  
 accepta Renatus Andegavensis Savonam  
 appulit, Genuensibus urbis imperium re-  
 linquere compulsus. Ita nempe Gallos  
 jam

jam tertio ignominiose Genua ejectos vi-Saecul. XV.  
dimus. A.C 1460.

## §. V.

*Ducis Burgundiæ timor de bello sibi  
inferendo.*

**N**ec tamen funesto hoc casu mutata est rerum facies in Galliarum regno. Burgundus continuis agitabatur curis, veritus, ne a Carolo VII. Rege bello opprimeretur, nec vanus quoque timor erat; potissima enim Regii Senatus pars id ipsum Regi suadebat, quorum tamen consiliis ipse, aliunde pacis studiosissimus Princeps, acquiescere noluit. Nihilominus Burgundiæ Dux missis ad Regem Joanne de Croy & Lannoyo Hollandiæ Præfecto metus sui causas exposuit, declaravitque, se omni jure conqueri, quod adversus eum nonnulli belli consilia foverent, præterea iidem Legati, Ducis sui nomine, Regi significabant, eorum Dominum, ut se Gallorum partibus addictissimum monstraret, ab Anglis defecisse, & per Atrebatensem concordiæ tractatum a se firmatum, pacis studio omnem justam licet indignationem ob inhumanam Patris sui cædem repressisse, Regique ad subigendam Normanniam strenue opem & operam tulisse; Nunc vero communi fama innotescere, Regem inito